

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Luitpoldi Principis Bavariae regnum regentis laudatio.
Haeresis atque Apostasiae conceptus.
Acceptorum VOCIS URBIS praemorum facta fides.
Quaestiones philologicae. Idemne « Animus » quod « Anima » sit.
In Bacchanalia. Elegia.
De Leone XIII P. M. commentarius. In Urbe ad Collegium Romanum.
Paroemiae sive Adagia. Mare caelo miscere. — Miscere sana pro-
 fanis. — Sub lapide scorpio.
Versalienses aedes.
Colloqua latina. Chartulae lusoriae.
**Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae
 selectae.** Ex Congregatione Concilii. — Ex Congregatione Consisto-
 riali. — Ex Congregatione de Disciplina Sacramentorum. — Ex Con-

gregatione Indicis. — Ex Congregatione pro Negotiis Ecclesiasticis
 Extraordinariis. — Ex Congregatione de Religiosis. — Ex Congrega-
 tione Rituum.
Diarium Vaticanum. Coram SSmo. admissions. — Pontificiae electiones.
 — Varia.
Annales. Balkanicae res.
Publici per orbem coetus legibus ferendis.
Per orbem.
Libri recens dono accepti.
Aenigmata.
Numismatum collectoribus montium.
Appendix; Ad Romam.

LUITPOLDI PRINCIPIS BAVARIAE REGNUM REGENTIS LAUDATIO

HABITA IN AEDE XYSTINA CORAM SS. D. N. PIO PP. X AB AURELIO GALLI
 SS. AB EPISTOLIS AD PRINCIPES XIX KAL. FEBRUA R. AN. MCMXIII (1).

Corona senum multa peritia, et gloria
 illorum timor Dei.

(Eccl., XXV. 8.)

Raro admodum contingit, ut cuiusquam interitus tantam tamque sinceram hominum complorationem moveat, quantam nuper excitavit amissio Viri Principis, cuius causā hic modo est divina Hostia perlitatum. Nam, quis dicendo luctum exprimat Bavariae, quae tot annos, eo Regente, felicius in dies floruerat? Etsi enim, opinione diutius, salvo illo atque incolumi usa erat, tamen ita desiderio defuneti illacrimavit, quasi nunquam senex optimus debuisse ex hac laboriosa vitae mortalis agitacione conquiescere. Quam acerbum praeterea funus hoc accidit Germaniae, quae praecipue eum semper coluit habuitque Princeps suorum Nestorem! Quam grave ubique bonis omnibus! quos quidem licuit audire passim de homine commemorantes summis cum laudibus, quum interim, quod sane est singulare, nulla vox dissona exsisteret. Nimurum in LUITPOLDO non vana quaedam species honestatis eluxit, sed solida illa virtutum forma, quae, fundamento religionis constituta, amplitudinem homini dignitatemque veri nominis parit: nam, *qui timent te (Domine), magni erunt apud te per omnia.* (2) — Ita de amissio Principe, Beatissime Pater,

Te sentire equidem scio; at simul intelligo Te de mea tenui ingenii facultate nimio clementius iudicasse, qui me in hoc amplissimo coetu animi Tui sensa interpretari iusseris. Sed Tua me hortatur benignitas honestissimum onus atque munus obire fidenter. Quod ut iam aggrediar, mihi quidem in LUITPOLDI vitam intuiti, continuo duae illae occurunt tamquam insignes notae quae naturam moresque eius distinguere videantur: prudentia et pietas. Itaque in eum commode cadit illud Ecclesiastici: *Corona senum multa peritia et gloria illo. um timor Dei.*

* * *

Non sane potest bene esse civitati, cuius ille sum-
 mum magistratum obtineat, qui, propter inopiam consili, ipse sibi nesciat moderari, nedum aliis. Quamobrem Iudeis, qui Christum non essent recepturi, Deus per Isaiam (1) denuntiavit daturum se eis principes, illius inconsideratae temeritatis plenos, quam puerilis aetas praeferre solet. Neque autem multo melius habet civitas a senectute principis, si vel infirmitas naturae vel languor aetatis inertem ignavumque faciat ad gerendum imperium. Longe aliter cum regno Bavariae, Dei pro-
 videntis beneficio, est actum, ubi graves iisque satis cogniti casus summam rerum LUITPOLDO detulerunt. Accessit ille ad rempublicam senex, at accessit —

(1) Quod vir excellentissimus, qua fuit et est erga nos benevolentia, concesserit, ut Laudatio haec, in sollemni Bavarii Principis recens vita functi funere ad aedium Xystinam habita, per Voxurbis perulgaretur, amplissimas grates publice referimus.

(2) Iudit., XVI, 19.

(1) Is., III, 4.

quamvis nūl tale suspicatus futurum — egregie paratus et promptus; quin etiam robur singulare et quasi quamdam viriditatem eodem attulit. Quod mirum est nemini, qui eius ante actam vitam non ignoret.

Etenim, quum in eo bona esset virtutis indoles, adhibita est ad naturae opus excolendum sana illa ac severa disciplinae ratio, cuius est, Religione duce, et mentem optimis praeceptis institutisque instruere, et animum confirmare contra vitiorum illecebras, et ipsum durare corpus, ne ad inertiam desidiamque declinet. Itaque laboribus, quibus excentur vires, a puero de-ditus, imprimisque equitandi et venandi studiosus — in quo studio novimus ad extremam permansisse ae-tatem — adolescens militare coepit; gradatimque per altiores ordines pervenit ad summos, non sibi, regio sanguini, delatos, ut assolet, ornamenti gratia, verum sollertia laborisque constantia quaesitos. Ceterum quam bonus fortisque ductor evasisset, vidit Europa in acie plus semel; quam sciens autem peritusque rei militaris fuerit, illud ostendit, quod cum omnes Bavariae copias sapientius ordinavit, tum in primis ballistarum instrumentum, cuius praecipuam semper egit curam, melius constituit. — Iam vero non in hoc solum genere, sed in omnibus, quae ad disciplinam civitatis pertinent, nonne oportuit hunc auctoritate florere, quem Maximilianus frater, ille quidem immortalis apud Bavarios memoria dignus Rex, quum civilia instituta corrigere fortunamque rei publicae amplificare contenderet, ad grandia, quaecumque viderentur, et suscipienda et ex-sequenda auctorem adiutoremque adhibuit? Atque eumdem postea fratri filius, Rex Ludovicus, utpote com-muni bonorum opinione commendatissimum, voluit sibi ad consiliandum adesse, suamque personam publice gerere. Sic igitur eruditus doctrina limatusque rerum usu LUITPOLDUS, ubi primum, Eo iubente qui rerum temporumque est arbiter, Regni clavum tenuit, ob con-silii maturitatem mirifice iam aptus erat ad munus, cui praeaciebatur.

Itaque his viginti sex annis, quum rem publicam gessit auspicio suo, sic gessit, quemadmodum initio professus erat: «nihil iam se curaturum, nisi quod prodesset Bavariae»; et vero nullum genus reperias, in quo non de illa praeclare meruerit. — Principio consentiunt omnes, hunc in externis Regni rationibus id et perpetuo laborasse et adsecutum esse, ut salva sua Bavariae manerent iura, salva dignitas. Deinde in ipsa gubernatione civitatis hoc praesertim nomine laudandus est, quod, proposita sibi boni communis causa, suos administros consueverit perstudiose diligere: neque enim in eum numerum alios adscisciebat, quam qui in re politica recte sentire, ideoque vere in commune posse consulere viderentur. — Quaecumque autem pu-blicam prosperitatem efficiunt, ad ea omnia conversum habuit animum: ad firmandam pecuniarum rationem, ad promovendam privatorum industriam, ad fovendam, plurium quoque sodalitiorum ope, culturam agrorum;

resque adeo successere, ut quem locum Bavaria inter primores Germanici foederis civitates potentia obtinet, eumdem his etiam capitibus tueatur. Num vero pute-mus neglexisse exercitum, in quo quidem instruendo tam multus antea fuerat? Immo sedulam dedit operam ne quidquam ei deasset, quod vel institutum militare vel ars bellica desiderat. Et quoniam nec satis arma possunt ad securitatem publicam, neque explicari com-mercia licet, si modici sint commeatus aut difficiles, vigilantia studioque LUITPOLDI factum est, ut ferreae per omnem Bavariam tot munirentur viae, quot utrius rei abunde suppeterent. — Ad haec, quod vix credibile videatur in viro tam gravi qui solidam populi utilitate metiretur omnia, multum tribuit ingenuis artibus, quarum suavitate vehementer capiebatur. In quo Regum decessorum exempla secutus est. Monacensem quidem urbem nemo ignorat cum omnis eruditionis cultu, tum maxime studiis humanitatis hodie clarere, eamque insignibus artium monumentis collectisque undique ope-ribus affluere. Is igitur non modo urbis ornatum novis in usum reipublicae excitatis aedificiis magnifice auxit, sed etiam regia munificentia fovit artifices; quippe erat ei persuasum, quod dixit olim, «non leve quiddam sibi videri artes, quae magnum ad populorum vitam momentum habeant». — Postremo nimis manca haec foret tamquam adumbrata imago optimi Principis, nisi id adiungerem quod eius lineamenta animi quodammodo efficit molliora: summam dico erga omnes benignitatem. Nam usque adeo nesciebat superba fastidia dignitatis, ut, quemadmodum aditu facilis communisque vel infimae sortis hominibus, ita esset solitus interesse populo eiusque et laeta et tristia participare prae-sens, cum plerumque solus circumiret, nullo comitatu, quamquam ei amor populi semper comitabatur. Etenim non est mirum, si LUITPOLDUS tali quasi complexione vir-tutum, qualem vidimus, omnium, quos aliqua ratione attingebat, benevolentiae caritatem sibi conciliavit. Prae-clare hoc patuit haud ita pridem per ea quae celebrata sunt sollemnia, quod et aetatis nonagesimum et regi-minis quintum et vicesimum complesset annum. Quo tempore in mediis significationibus effusae laetitiae — quas quidem studia gratulationesque foederatorum aliorumque Principum, Te praeunte, Beatissime Pater, longe auxere — quum ostenderet Bavaria iure se LUIT-POLDO optime de se merito gratulari, splendide illustravit illud Scripturae effatum: *Corona senum multa peritia.*

Iam si requiramus, quidnam rei esset, quod LUIT-POLDUM faceret vel tam actuosum in utilitatem populi, vel tam constantem in officio, vel etiam tam serenum in domesticis iisque magnis luctibus, facile reperiemus tribuendum hoc esse religioni ac fidei, quae vitam eius omnem uti gubernavit, ita insignivit. In quo non est dubium, quin ille multum debuerit bonis vivendi prae-

ceptoribus, quibus, Ludovicus I Rex, pater eius, filios tradens in disciplinam, mandabat, ut eosdem sibi et *viro*s et *christianos* aliquando redderent. — Itaque LUITPOLDUS, ut qui insculptum in animo illud haberet « non esse potestatem nisi a Deo », (1) sibique persuasisset nullius gubernatoris, nisi Deo adspirante, prosperum fore cursum, cum regendam suscepit Bavariam, profecto perpendit quam grave susciperet onus, et quantum erga Deum et patriam subiret officii. Nam quod est in saeris Litteris: *iudicium durissimum his, qui praesunt, fit*, (2) plane terrebat hominem, suspenso animo de die cogitantem, quando esset futurum, ut a se rerum Dominus rationem administrati muneris repeteret. Quare, ne unquam decesset officio, cavit diligentissime: quam diligentiam atque adeo religiosam curam vidimus proximis diebus ab ipsis scriptoribus, qui nobiscum de Fide dissident, valde commendari. Etenim, ut alia praetermittam, non solum sui consulendi copiam omnibus Regni administris quotidie faciebat, sed etiam, raro exemplo, quoad regimen tenuit, nunquam eorum consiliis non praesedit, apte sapienterque semper suam interponens, in magna negotiorum varietate, sententiam. — Illud autem hodie nimis vulgata et opinio et consuetudo fert, ut Religionem respublica, tamquam rem a se alienam, negligat, officiumque Dei colendi relinquat omne arbitrio privatorum; quasi vero civitates non, ut homines singuli, a Deo conditore et conservatore pendeant, neque ex pari officii sanctitate eum revereri debeant palam et colere. Ita saepius usu venire solet, ut qui dant operam rei publicae, suam prodigialiter dividant duplicitque personam, atque alias se intra domesticos parietes gerant, id est deditos religioni, alias in luce civitatis exhibeant, id est a religione remotissimos. Tantum vel pudor in ignavis vel in cupidis obsequium potest! Haud ita sane LUITPOLDUS; neque enim caderet in eam naturam mentiri tam turpiter et discordare secum. Ergo uti privatim et apud se Deum castissime colebat, ita eum religionis ardorem palam demonstrabat, ut exemplo omnibus esset. Idque maxime quotiescumque sacris sollemnibus Christi Corporis intererat; quum pompam Sacramenti augusti, magno principum procerumque comitatu, ipse, spirans pietatem, pedibus sequeretur. In quo veterem morem, a decessoribus longo tempore intermissum, revocavit, semperque deinde retinuit, ingenti quidem cum Monacensium laetitia. Sed eximiae pietatis eius alia multa praetereo, quae in promptu sunt, documenta: hoc tamen omittendum non est, quod is publicis in templis, quae sollemne habuit adire per annum, non aliter aderat sacris, nisi nixus genibus; quod si per valetudinem non ei licuisset in genua consistere, aede abstinere se malebat, quam ibi adesse tali corporis habitu, qui minus decere Dei maiestatem sibi videretur. — Atque in re publica quamvis potestatem gereret populi constitutione

temperatam, non tamen, quantum in se erat, quidquam reliqui fecit, quod ad conservanda christiana sapientiae instituta pertineret. Quin imo illud argumento est eius non minus fidei quam prudentiae. quod quum compriisset quaedam parari publice, non adeo amica religioni, eisque oratores populares maiorem partem suffragari, is mira dexteritate effecit, ut simul constitutum Regni ius ne violaret, simul omnem religionis iniuriam prohiberet. Idem, postquam in legumlatorum ordine plures numerari coeperunt, qui cum fide populi congruerent, eo liberius in custodia Religionis publicae, sine qua bonos mores intelligebat fore nullos, perseveravit. — Itaque de sana iuuentutis institutione fuit maxime sollicitus: et sicut suos ipsius filios, spem augustae Domus, christiana diligenter disciplina eduxerat, sic impense curavit, ne disciplinae eiusdem sanctitas desideraretur in scholis, ubi futura quodammodo fingitur fortuna civitatis.

Iam de tali viro supervacaneum videri potest memorari quemadmodum erga beati Petri successorem fuerit affectus. Nam qui se catholicum non professione tantum sed re praebuit adeo, ut religionem in omni vita sequeretur ducem, is dubitarine potest, quin Ecclesiae catholicae Magistrum et Caput eumdemque Iesu Christi Vicarium magnopere observarit et coluerit? Et enim nihil antiquius habuit, quam ut rationum necessitudinem, quae Bavariae cum Apostolica Sede intercedunt, maiorem faceret atque coniunctiorem. Praeterea, quum Pontificem Romanum pientissimi filii more diligenter, nullam omisit occasionem, quae sibi daretur, huius pietatis profitendae munificeque testandae; cuius piae munificentiae in hac ipsa aede indicia luculentissima videmus. Sed ego de LUITPOLDI in Te pietate quid plura, Te praesente, loquor, Beatissime Pater, cui sane fuit exploratissima? Tuque eam studio rependebas caritatis paternae; qui quidem idcirco voluisti haec in sanctissimo orbis terrarum loco celebrari sollemnia funeris, ut non solum tua erga Bavariam propensa voluntas exstaret, sed appareret etiam quanti ipsum faceres quamque haberet carum.

Quid, quod in hoc homine ad ceteras laudes, velut cumulus, accedebat, singularis quaedam modestia? Nempe solius Dei reverens iudicia, nequaquam opinionem multitudinis, quidquid semel intellexerat suarum esse partium, illud simpliciter et candide exsequebatur, admodum securus quid de se homines iudicarent. Nihil tam alienum erat eius moribus, quam rumori servire ac praedicationi sui nominis, quumque videret se praesertim ob consilii gravitatem apud foederatos exterosque Principes magno esse in honore, non se iactavit unquam profuditque latius, verum finibus patriis continuit sese, atque in salute gentis suaem operam euramque consumpsit. — Denique haec maxima est augusti senis perpetuoque mansura laus, sancte eum in omni vitae munere divinae voluntatis praescripta servantem, specimen christiani principis exstisset.

(1) *Ad Rom.*, XIII, 1.
(2) *Sap.*, VI, 6.

Nam corona senum multa peritia, et gloria illorum timor Dei.

Quare inter summos viros, quos pervetusta Wittelsbachia Domus genuit, Europae utiles, Germanicae genti salutares, quorum memoriam consecravit grata posteritas, adnumerandus non postremo loco est LUITPOLDUS, qui traditam a maioribus hereditatem gloriae non custodivit solum, sed auxit et quidem tam magnis promeritis, ut quo spatio temporis praefuit rebus patriae, illud in temporibus Bavariae felicissimis habeatur. — At populum, tanti Parentis orbitate maerentem, respiciat Deus; et communia vota precesque benignus audiens, Animae desideratissimae aditum ad caelos, potioris regni sedem, mature patefaciat. Augusto autem Principi, Ludovico, regimen Bavariae feliciter auspicanti, assidue adsit semperque faveat; ut, qui Patrem optimum prudenter et religione refert, eiusdem vestigiis ad Bavarorum salutem ne cesset insistere.

HAERESIS ATQUE APOSTASIAE CONCEPTUS

Teste catholicae Ecclesiae historia, nunquam defuere «viri loquentes perversa, vaniloqui et seductores, errantes et in errorem mittentes» ut S. Scripturae verbis utamar. (1) Verumtamen, postrema hac aetate, posteaquam «Omnium haereseon conlectum» fines «a patribus ac ab ipsa Sancta Ecclesia statutos, altioris intelligentiae specie et historicae considerationis nomine» praetergredi incoepit, horum hominum «numerum crevisse admodum fatendum est». Quidam ex istis a fide et ab Ecclesia apostatae facti sunt, dum alii in Ecclesia, «artibus omnino novis, — ait S.S. P.P. Pius X, (2) — astuque plenis, vitalem Ecclesiae vim elidere, ipsumque, si queant, Christi regnum evertere funditus nituntur». Hi profecto, haeresis, atque apostasiae notionem oblitii sunt. Eo igitur consilio ut clarius atque distinctius fidei conceptus appareat, iuxta Angelici doctrinam, haeresis atque apostasiae conceptum in memoriam revocabimus.

* * *

Haeresis atque Apostasia, nonnisi Infidelitatis species sunt. Magni propterea interest, quid sub nomine Infidelitatis veniat, scire. Infidelitas actui «credendi» opponitur, et infidelem esse, idem valet ac fidem non habere. Quia vero fidem habere, prouti Angelicus (3) animadvertis, «non est in natura humana» quamvis in natura humana sit «ut mens hominis non repugnet interiori instinctui, et exteriori veritatis praedicationi»; ideo potest aliquis fidem non habere, primo secundum puram negationem, uti in illis qui nihil audierunt de fide, et tunc habetur «*Infidelitas negativa*»; et *Infideles negativi* habentur in quibus poena, non autem

(1) Cf. *Act. XX, 30; Tit. I, 10; II. Tim. III, 13.*

(2) *Epist. «Pascendi».*

(3) *2-2^æ 10. 1. ad 1.*

culpa Infidelitas est. Secundo potest aliquis fidem non habere secundum contrarietatem ad fidem, uti in illis qui audierunt de fide, sed de fide nihil seire volunt, imo fidem ipsam spernunt; et tunc habetur «*Infidelitas contraria*»: *Infideles contrarii* habentur, in quibus infidelitas tum culpa tum poena est.

Theologia autem inspecta, infidelitas *a*) est actus intellectus a voluntate moti; dissentire enim est «proprius actus infidelitatis», ideoque sicut assentire est «actus intellectus, sed moti a voluntate», ita et ipsum dissentire et ipsamet infidelitas. (1)

b) Infidelitas est peccatum, imo maximum peccatorum, quamvis in aliquibus nonnisi poena sit. Est peccatum, quia peccatum consistit in aversione a Deo; per infidelitatem vero homo a Deo elongatur. Est maximum peccatorum, quia «aliquid peccatum est gravius, quanto per ipsum homo magis a Deo separatur. Per infidelitatem autem maxime homo a Deo elongatur: quia nec veram Dei cognitionem habet; per falsam autem cognitionem ipsius non appropinquat ei, sed magis ab eo elongatur». In aliquibus nonnisi poena est «sicut in illis qui nihil audierunt de fide; quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est». (2)

c) Quamvis infidelitas maximum sit peccatum, non omnis tamen actio infidelis est peccatum. Pius V (1567) Gregorius XIII (1579) Urbanus VIII (1641) propositiones 25^{am} et 68^{am} Baii damnaverunt; quarum prima sonat: «*Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia*»; secunda: «*Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est*». Rursus per «infidelitatem non corrumpitur totaliter in infidelibus ratio naturalis, quin remaneat in eis aliqua veri cognitio, per quam facere possunt aliquod opus de genere bonorum» (3).

* * *

Ex Infidelitatis notione ad Haeresis, ac Apostasiae conceptum transimus. Haeresis est prima «*Infidelitatis*» species atque definiri potest: «*Liber et pertinax dissensus intellectus a veritatibus fidei ab Ecclesia ad credendum propositis, in homine qui fidem Christi profiteri fatetur, ipsique Christo assentire intendit*». Haeresis vocatur:

a) Dissensus, quia sicut fides assensus intellectus est, ita per oppositum «haeresis» quidam dissensus esse debet.

b) Liber, quia, S. Hieronymo (4) fatente, «*Airesis* graece, ab electione dicitur: quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam quam putat esse meliorem».

c) Pertinax, quia prouti S. Augustinus (5) animadvertis: «Qui sententiam suam, quamvis falsam

(1) S. Th. 2-2^æ 1, 1^o, ad 1.

(2) Ib. a. 1. 2. 3.

(3) Ib. a. 5. DENZINGER, 905, 948.

(4) *Comm. in Epist. ad Galat. 1. 3, c. 5, v. 19, 20. M. 26, 445. Cf. S. Th. 2-2^æ 11 a 1. «Hacresis electionem importat».*

(5) *Epist. 43, c. 1. M. 33, 160.*

atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia praeumptionis suaem pererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, quum invenerint; nequaquam sunt inter haereticos deputandi».

d) Intellectus, quia haeresis respicit veritatem, quae obiectum intellectus est, quamvis actum voluntatis moventis ad dissentendum praeupponat.

e) A veritatibus fidei, hoc est non solummodo a veritatibus quae «directe et principaliter» ad ipsam fidem pertinent, uti sunt articuli fidei; sed etiam a veritatibus quae «indirecte et secundario» ad fidem pertinent, sicut «ea ex quibus negatis sequitur corruptio alicuius articuli»; circa enim «utraque, scribit Angelicus (1), potest esse haeresis, eo modo quo et fides».

f) Ab Ecclesia ad credendum propositis, quia Ecclesia a Christo munus recepit, declarandi, proponendi, ac conservandi fidei veritates, quae credendae sunt.

g) In homine qui fidem Christi profitetur; si enim homo Iesu Christi fidem non profiteatur, ipsique Christo assentire nolit, habetur species infidelitatis «Paganorum et Iudeorum», non vero haeresis; haeresis siquidem «importat corruptionem fidei christianaem».

h) Ipsi Christo assentire intendit; haereticus enim intendit Christo assentire, sed deficit in eligendo ea quibus Christus assentiat, quia non elit ea quae sunt vere a Christo tradita, sed ea quae sibi propria mens suggerit» (2).

Manifeste apparet, iuxta dissensus mentis haeretici diversitatem, diversas quoque haeresis species oriri. Si enim dissensus, pertinaci, scienti ac mala voluntate ponatur, haeresis «formalis» vocata habetur; si vero non pertinaciter neque mala voluntate sed ex sola ignorantia intellectus dissensus existat, haeresis «materialis» dicta habetur. Rursus, si dissensus intellectus a veritatibus fidei, in interioribus animi maneat, haeresis «interna» dicitur; si vero dissensus verbis scriptoque manifestetur exterius, haeresis «externa» habetur. Hinc dari potest causa ac de facto datur, quod catholicus vir haereticus sit; dum aliquis ex Protestantibus vel ex aliis Sectis a Romana Ecclesia separatus, haereticus non est. (3)

Ultima infidelitatis species est Apostasia, quae secundum Angelici mentem definiri potest: «Quaedam retrocessio vel discessio a fide». Homo enim diversimode Deo coniungi potest; *primo* quidem «per fidem»; *secundo* «per debitam subiectionem voluntatis ad praecceptis eius obediendum paratae; *tertio* per aliqua spe-

(1) L. c. a. 2.

(2) S. Th. 2-2^{ae} 12, 1.

(3) S. Th. 2-2^{ae} 11, 2, ad 3. Nota verba S. Thomae respectu scriptorum qui dissenserunt circa veritates nondum per Ecclesiam definitas: «Si aliqui doctores videntur dissensisse in quibusdam ad fidem pertinentibus quae nondum erant per Ecclesiam determinata; postquam autem essent auctoritate Ecclesiae determinata si qu's tali ordinationi pertinaciter repugnaret, haereticus censeretur».

cialia ad supererogationem pertinentia, sicut per religionem, clericaturam, vel sacrum ordinem. Quoties homini contingit «apostatare a Deo, retrocedendo a religione quam professus est, vel ab ordine quem suscepit, habetur apostasia «religionis» seu «ordinis». Quoties homini contingit «apostatare a Deo per mentem repugnantem divinis mandatis» habetur secunda apostasia, in qua sicut et in prima «adhuic potest remanere homo Deo coniunctus per fidem». Quoties denique homo discedit a fide, tunc omnino a Deo retrocedere videtur. Et ideo simpliciter et absolute est apostasia per quam aliquis discedit a fide, quae vocatur «apostasia perfidiae». Apostasia huiusmodi «simpliciter dicta ad infidelitatem pertinet.» (1)

REGINALDUS FELIX O. P.

(1) 2-2^{ae}, 12, 1.

Acceptorum VOCIS URBIS praemiorum facta fides

I.

PAULUS RECANATESI, viro clarissimo dri. IOSEPHO FORNARI, "Vox Urbis," commentarii Moderatori, s. p. d.

Me duplex contristat hiems aetatis et anni; inde causae quibus ad hunc diem sum distentus, ne pulcherrimum illud argenteum numisma, quod coriacea theca reconditum dono misisti ad me diligentissime, acceptum testarer. Parce igitur morae, plurimasque hodie habeas gratias; habeas et omina, ut latinae linguae in honorem, vix heu! nunc a paucis balbutitiae, ad veritatis, fideique nostrae, in tanta morum corruptela, strenuam defensionem, Vox Urbis commendabilis commentarius in dies magis per orbem diffundatur. Tu autem, rerum dulcissime, macte nova semper virtute ac vale.

Dab. Auximi, x Kal. Febr. MCMXIII.

II.

IOSEPHO FORNARI, clarissimo atque impigro Commentarii "Vox Urbis," moderatori, MARCUS GALDI s. d.

Accepi argenteum pulcherrimumque numisma, quod mihi dono misisti ob mea qualiacumque anni superioris scripta, et gratias quamplurimas ex animo ago.

Magno quidem erit incitamento id laboris praeium, neque despero maiorem industriam in tuum Commentarium, si quid otii detur, conferre posse. Interea libenter opto ut, te moderatore, magis magisque in dies *Vocis Urbis* decus nomenque per latiores fines augescat.

Vale meque tibi ac tuis rebus omnia fausta precantem tuaeque benignitati addictissimum habe.

Beneventi, ex R. Lycaeо, a. d. XVI Kal. Febr. MCMXIII.

QUAESTIONES PHILOLOGICAE

Idemne "Animus,, quod "Anima,, sit.

Huiusmodi quaestio multis fortasse mira aut plane superflua videbitur; rem tamen non parvi nonnunquam momenti esse demonstrare conabor; idque etiam docebit quantum linguae latinae perfectum studium etiam in rebus «biblicis» valeat, et qua de causa prudens et accuratum studium philologicum scholis sacerdotalibus pontifex maximus Leo XIII suo tempore litteris encyclicis praeceperit (1).

Sed ab initio ordiendum est.

Fere quinquaginta ante annos, ut alibi, ita etiam apud nos in Poloniae parte Russis subdita iuvenum litterarum studiosorum cohors, quae «positivistarum» dicebatur, emicuit, nihil verum esse clamans, nisi quod sensuum ope aspici, tangi, probari posset. Quam doctrinam etiam ad fidem Dei revelatam religionemque nonnulli accommodare studuerunt; ex quibus unus disputatione, in positivistarum ephemeride (*Niva* idest «*agellus*» inscribatur) excusa, prorsus hominum animos nullos esse demonstrare sibi proposuit. Quae disputatione *Mózg i dusza* (h. e. cerebrum et animus) inscripta est. Neque satis erat auctori argumentis physicis balbutire omnes, quae animo cuidam attribuantur actiones, cerebri atque nervorum esse fructus, sed rem sententia quoque ex libris sacris citata fulcire est ausus. Quam sententiam ex l. Levitico (XVII, 11) eripuit, ubi haec invenit verba: «*Anima carnis in sanguine est;*» quae quum magna perycacia recitasset, en, inquit, ipsa Scriptura sacra animum existere negat.

Iam, opinor, claret, quare quaestio animi animaeque, quae in studiis latinis neglegi et praeteriri solet, digna sit, quae disceptetur.

Non est negandum in multis linguis exultis recentibus duo existere vocabula, quorum synonymica ratione alterum pro altero usitari solet, ut in lingua germanica scimus esse *Geist* (animus) et *Seele* (anima), Polonorum aut Russorum lingua *duch* et *dusza*. Idem etiam in lingua latina invenimus, in qua etiam anima saepe pro animo ponitur. Sed alia res est miscere verborum significationem in oratione neglecta aut sermone vulgari, alia iis in disceptatione rationali aut philosophica uti, id quod iam in ipsis iis linguis, quum res accuratius est distinguenda, clarescit. Verum est in lingua germanica dici *die Seele* (pro *der Geist*) *des Menschen est unsterblich*; nemo tamen exultus dicet die *Seelenwelt* pro die *Geisterwelt*; simili modo Polonus aut Russus dicit *dusza* (pro *duch*) *czowiecka niesmiertelna*, neque tamen dici potest *dusza ojca mu sie pokarata*, sed *duch ojca mu sie pokarat* (non anima patris, sed animus ei apparuit). Iam inde sequitur etiam in lingua latina eiusmodi mixtionem et mutationem vocabulorum apud auctores nobis occurrere posse, ubi res accuratam eorum distinctionem non exposcit. Sed ne ab iis quidem anima pro animo usurpatur, si orationis sensus, ut significatio accurate distinguatur, postulat. Innumeralibus exemplis rem demonstrare est. Si quis dubitet,

indicare possumus. Hic satis esto citare aliquot praestantiores auctorum locos, ut Ciceronis: «Qui non modo *animum integrum*, sed ne *animam* quidem puram conservare potuisse» (*Ver. V*, 58. 134); aut eiusdem: «Credo deos *immortales* sparsisse *animos* in corpora humana,» aut Sallustii: «*Animi* imperio, corporis servitio magis utimur; alterum nobis cum dis, alterum cum beluis commune est» (*Coniur. Cat. cap. I*); aut cuius nomen, non sententia memoria mea excidit: «Difficile est animum perducere ad contemplationem animae».

Nonne ex illis exemplis facile coniici potest, quam validum discrimen inter animum et animam apud perfectae artis cogitandi compotes scriptores regnaverit?

Nonne videmus voce «*animi*» significari illam hominis partem, quae etiam ab eius corpore absumpto, mortuo, seiuncta aeterna remanet, vivit, ut inter alios etiam ab Sallustio (*Bel. Iug. c. 1*) docemur: «Corporis et fortunae bonorum, ut initium, sic finis est — animus incorruptus aeternus rector humani generis.....»?

Quid igitur deinceps anima? Id nos praeter alios Vergilius distinctius monet (*Aen. IX*, 349): «Purpuream vomit ille animam»; id quod alio loco (IX, 414) ita exprimit: «Vomens de pectore calidum flumen». Est igitur anima pro sanguine, qui fons vitae terrestris, qui corporis vis vitalis est, posita; quae vis etiam beluae iam necatae aliquod tempus corpus movet, ut in gallina, aut vitulo, aut ove non solum ego puer, sed alii, opinor, animadvertere potuerunt; id quod Senecae sententiam in memoriam revocat: «Animantia quaedam animum habent, quaedam tantum animam».

Re ita soluta, iocose mihi, sed vere, addere licet illum supra memoratum iuvenem «positivistam» nomine salvo nostratem, qui *animum* scripto suo auferre conatus erat, posteriore tempore in «spiritistam» mutatum, cum Eusapia illa Paladino migravisse et hominum curiosorum coetui mortuorum animos ostendere conatum esse, qui animi negationem eius praeteritam ulciscentes, prodire noluerunt.

Varsaviae Polonorum,

JOSEPHUS WABNER.

IN BACCHANALIA (Elegia)

I.

Cantibus adveniunt tandem sollemnia Bacchi:

Vos, pueri, saltus, vos, iuvenesque, date.

Ingens fit strepitus, pulsantur tympana, plebsque

Indulget vino, lusibus atque iocis.

Tollitur immodicus, turba strepitante, cachinnus:

Per plateas, vicos ludicra verba volant.

En temulen'us adest opifex trepideque labascit;

Exagitant pueri, probra nefanda vomit.

Festinas recta tremebundus tendere limen;

Iam personati mordicus extimulant.

(1) Conf. *Vox Urbis*, N. VI, a. MDCCCCVI.

*Cur mihi, si curis teneor districtus et anceps,
Istorum insidias non datur effugere?
Cur mihi, dum spatior, sonitu exsurdantur et aures?
Percutiuntque animum terrificae species?
Heu furor et rabies, praecipue licentia Bacchi!
Quidne, iuventa, paras? quo furiosa ruis?
Lascivae choreae, nocturni scommata risus,
Mollities sensus garrulitasque dicax...
Nunc vero sensim lusus vanescit in auras:
Orgia thyrsigeni quid prius enumeres?*

II.

*Vidistisne virum silvas et prata vagantem
Quaerere aves rapidas artibus atque dolis?
Si reperire sibi occurrit loca fraudibus apta,
Ponit ibi insidias atque trucidat aves.
Sic fallax daemon animas cum perdere quaerit,
Fraudibus inquirit tempus et apta loca.
Quodnam censem crudelēm quaerere tempus?
Optima vina inter magnificasque dapes.
Si ergo vos animam taedet tam amittere pulchram,
Has vitate epulas laetitasque breves.
Sic Sancti, nam pompis divitiisque relicts,
Traxerunt omnes in nemora alta dies.
Quis nostrum florens annis et splendidus auro
Istorum audebit fortia facta sequi?
Quis poterit proprium corpus laniare flagello,
Atque famem, magnam pauperiemque pati?
Non tamen a nobis noster Deus ista requirit:
Legem servato et sidera quisque petet.
Quid vero lex ista iubet, quid praecepit ergo?
— Dilige consimiles, diligite Deum. —
Donec homo in terris vitam direxit ad istam,
Nec leve nec magnum crimen in orbe fuit.
Hac conculcata ut Pandorae ex vase venusto
Quae terras premerent exsiliere mala.
Atque adeo vastum presserunt crimina mundum
Ut tibi non constet quae sit habenda via.
Atque illuc hominum processit dira cupidio
Turpibus ut vitiis vel pueri scateant.
Nos etiam istorum vestigia falsa sequemur,
Ibimus an potius sub sacra iussa Dei?
Ah potius Christi legem et praecepta sequamur,
Et pax in nostro corde perennis erit!*

Scribem Beneventi, a. d. xv Kal. Febr. MCMXIII.

M. GALDI.

*Navita de vent's, de bobus narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves.*

PROPERTIUS.

DE LEONE XIII P. M.

COMMENTARIUS⁽¹⁾

III. — In Urbe ad Collegium Romanum.

Scholis adhuc Rethorices, ut illius aetatis vocabulo utar, rite idemque laudabiliter Viterbiī peractis, adolescens Peccius domum rusticaturus adiit, ut valetudinem quoque suam tot la boribus exagitatam per otium reciperaret.

Feriis autem autumnalibus labentibus, dum inter suorum amplexum omnia sibi bona a Deo auspicatur, acerba funera domum suam vexarunt, quibus eius animus adflectatur miserrime. Vix enim a Collegio excesserat, cum primum frater natu maior, quo cum honeste in scholis de primatu decertaverat, et coniunctissimis animis vixerat, improbo morbo praereptus, florente omnino aestate, insigni parentum amicorumque luctu, sancte decessit. — Haud ita multo post, ipsa mater, quam unice noster deamabat, Deo defixa, in filiorum complexu, mortalem vitam immortalē placide mutavit. Hoc refricato vulnere inconsolabilis Vincentius diu graviter ingemuit, atque in una eius contemplatione virtutum conquisiens, ei aeternam caelestium beatitudinem adprecatus, inter caelites aliquando cum ipsa se victurum esse sperabat. Una eius in Deo fiducia, illis temporibus, animum rexit, atque adiuvit. Eique Deus praesenti auxilio adfuit, quo confisus, et naturali perpetua animi bonitate, quae nunquam humanis casibus agitata fuit neque minuta. — Imo nullis nequaquam periculis deterritus, invictum animum a terrenis cupiditatibus alienum exhibens, mortalia contempsit atque ad caelestia unice spectavit.

Adpetente itaque novo scholarum anno, Romam a patre conductus est, ut ad philosophicos ludos animose accederet. Ipse vero, Deo unice devotus, quo tutius rebus divinis inserviret, sacrae militiae nomen dare instituit.

Constat apud omnes in Urbe omnium fuisse tunc celeberrimum Collegium, quod a Gregorio XIII P. M. iuvenibus docendis excolendisque fuerat apertum. Ad hoc, sub ductu praescriptoque sapientissimorum sodalium, qui nomen a Iesu habent, frequentissimi discipuli quotannis conveniebant ex omnibus Italiae provinciis, et dissitis undique regionibus, qui doctrinarum studio, pulcrique sensu exornarentur: quotquot aetatis suaे doctrinarum peritissimi haberentur, qui clari essent in pueris instituendis, illuc ad docendum vocabantur. Ut alios omittam, floruerunt illa tempestate Ioannes B. Piancianius, Andreas Carafa, et paullo post Angelus ille Secchius, qui posterior patrum memoria, sic astrorum scientiae peritissimus aestimabatur, ut omnibus non modo Italisch, sed et exteris maxime praestaret.

Hisce summis doctoribus usus, quum ingenio maxime valeret et virtutibus, omnium sibi gratiam facile conciliavit, atque ita in penitiore scientiae studio, matheseos, physicae, rerumque naturalium, quas vocant, in exemplum eluxit, ut primas in omnibus retulerit. Ita tamen mathesin arripuit, eiusque abdita studiosius

(1) Cfr. num. sup.

perspexit, ut omnes aequales superaret. Quum vero poeticae artem in primis colere et praestare omnes pernoscerent, hic passim sermo inter socios serebatur, unum Peccium sua aetate demonstrare poësim et matthesin simul arripi posse et vinculo quasi sororio devenias sibi mutuum auxilium exhibere.

Nec suus quoque eloquentiae deerat honos. Sed eius dicendi facultas haud iejuna erat et nuda, sed aspersa et distincta multarum rerum iucunda quadam varietate, quae rarissime in pueris adest. Vel illo tempore rapide mente arripiebat, animoque referebat italicos poetarum cantus, eosque sub doctissimo magistro cum exquisitissimis Hōmeri aut Horatii carminibus eleganter comparabat, quorum lectissimos locos, pro re nata, devixa iam aetate, memoriter carius recitabat. Vere eloquens videbatur, si eloquentia est, uti a Tullio definitur, *copiose loquens sapientia*.

Quoniam tempus et res ipsa me monet, arrepta occasione, vel honoris gratia, libenter memorabo suavissimum itemque doctissimum Franciscum Maneram, domo Neapoli, atque illa aetate studiorum praefectum. Hic benigno hospitio identidem excipiebat electissimos quoque Collegii Romani alumnos, qui penitiore cultu italicis sermonis elegantias cuperent, eosque peculiari diligentia erudiebat, atque adsiduis scribendi legendisque exhortationibus sermonem patrium acerrime per otium procurabat. Experrecto ingenio donatus, idemque laboris patientissimus, illam sibi doctrinam comparaverat, ex qua sententiarum et verborum copia efflorescit. Illustriores nostrorum historicorum narrationes cum veteribus componebat; neque minus delectabatur quum Vergilianas atque Horatianas sententias suavissimas Aligherii, Petrarchae atque Tassi luminibus hilararet.

Eius studium atque benevolentia nunquam ex alumnorum memoria excessit, atque felix egregii hominis institutio ab omnibus memorabatur, nec annis labentibus imminui petuit. Quibus rebus, insigniter triennio studiorum expleto, ut eius merita clarius explendescerent, suamque virtus haberet laudem, summi Collegi magistri sententia statutum est, ut Peccius de studiis optime susceptis, causam diceret. Dolendum sane, quod valitudine prohibitus, a scholis ei fuerit antea discedendum, quam de omnibus thesibus ex universa philosophia desumptis disputaret.

Bonis enim artibus fovendis cautum erat ut qui princeps inter aequales studiis extaret, quibus fuisse instructus, proposito anniversario certamine, eleganter ac publice traderet in omnium exemplum (1).

Haud abs re erit, ut quisque pietatem indicet adolescentis eiusque in scribendo perspicuitatem atque eloquentiam, deferre inscriptionem latino sermone exara-

(1) Placit in medium referre nobile honoris documentum:

«Collegium Romanum Societas Iesu.

«Fidem facimus praestantem invenem Ioachimum Pecci, per triennium in hoc Athenaeo Gregoriano philosophiae studio vacasse, in eoque adeo profecisse, ut iudicio doctorum decurrialium dignus habitus sit, «qui de selectis ex universa philosophia thesibus, labente anno scholastico 1829, publice disputaret. Cum vero id perficeret ab infirma valetudine fuerit prohibitus, rem ipsam nostris hisce libris testatum volumus, «atque optimae spei adolescentem benemerita laude et elogio prosequimus. — Datum in Collegio Romano 30 Decembris 1830.

tam, quam hic in honorem Augustae Dei Matris insculpendum curavit: «Mariae Sanctae Deiparae ab angelo salutatae, templum hoc, quod positum inferius secus fontem, eminere olim minus poterat, Caietanus Pasqualis, fundo a gente Peccia tributo, aere a Carpenetensibus collato, in altiori et amoeniori hoc loco erexit an. MDCCXXVII».

(*Ad proximum numerum*).

SUBALPINUS.

PAROEMIA SIVE ADAGIA

Mare caelo miscere.

Proverbialis hyperbole pro eo adhibetur quod est omnia perturbare, nihilque non facere. T. Livius: « Quid est quod caelo terram, caelum terrae misceant? » Idem alibi: « Quid tandem est cur caelum et terras misceant? » Juvenalis :

... Clame; licet et mare caelo
Confundas, homo sum.

Lucianus in Dialogo Promethei et Mercurii: Quid igitur, ait, oportebat ea gratia, terrae, quod dici solet, miscere caelum?

Vergilius in V. Aen. de Iunone omnia tentante, miscuisse scribit maria omnia caelo, atque paulo diversius in lib. XII:

... Non si tellurem effundat in undas
Biluvio miscens caelumve in tartara solvat.

Non dissimili figura usus est Aristophanes in Lysistrata. Plutarchus autem in Vita Romuli sic usurpat, ut caelum terrae misceant, qui ex hominibus deos, ex iis homines faciunt, et quae sunt hominibus fabulantur de diis.

Miscere sacra profanis.

Consimili figura dixit Horatius: *Miscebis sacra profanis*; id est: Nihil non facies. Confundis fasque nefasque.

Apud veteres multum erat discriminis inter res hominum, ac res deorum; adeo ut Homerus etiam vocabula discernat, quibus dii consueverunt uti, a vocibus humanis; et Pythagoras a quibusdam abstineri iusserit, quod numinibus essent consecrata. Unde, qui nihil habent pensi, quique nihil non audent, miscent sacra profanis.

Sub lapide scorpio.

Admonet adagium cavendum esse, ne quis apud captiosos et calumniosos temere loquatur: quidquid enim attigerit, periculum esse ne mordeatur. Constat enim scorpium solere sub saxis cubitare; quae si quis tollat incautius, fit ut, ictus, vulnus accipiat. Conveniet et in morosos, qui quidvis caussari solent; vel in pigros, qui frivola quaedam praetexentes suffugiant laborem.


Adhibuit Sophocles, atque etiam Aristophanes.

VERSALIENSES AEDES

Versaliarum urbs, undeviginti circiter millia passuum a Gallorum urbe capite distans, ineunte saeculo XVII parvum oppidum etiamtum erat, ubi Ludovicus rex, huius nominis XIII, venatoriam insulam sibi condidit. Ludovico autem XIV situs ille tam amoenus visus est, ut ordinarium domicilium suum ibi ponere constituerit. Celeberrimis igitur artificibus undique accersitis, brevi pagum in splendidissimum rus, magnificentissimasque ae-

st in venationis subiectum septum adspectus, ut vix oculis definiatur.

Horti, iuxta lineas Le Nôtre architecti instituti, arboribus directo ordine consitis iucundisque luculis affluunt, vasibus, statuis fontibusque exornatis, quibus aquas alveus studiose manufactus suppeditat. Huius ad septem triones castrum *Magni Trianon*, marmore per omnes parietes inducto, a Ludovico XIV et ipsum aedificatum est; proximeque, ad orientem versus, Ludovicus XV *Parvum* posuit *Trianon*, ab infelici illa Maria Antonia,



VERSALIENSIMUM AEDIUM PROSPECTUS.

des commutavit, tam magnum auri pondus in perficiendo opere impendens, ut non immerito a scriptore quodam divitiarum abyssus nova haec regia domus vocaretur.

Aedes, in quibus Arduinus Mansard et Carolus Lebrun ingenium et virtutem suam explicarunt, edito loco extolluntur, nec valde speciosae apparent advenienti ex armorum, quod vocant, foro, a quo per amplam aream separantur in aliquot cavaedia divisam, quorum praecipuis *Honoris*, *Administrorum*, *Marmoris* nomen. Heic insula ex latericiis parietibus a Ludovico XIII, ut diximus, exstructa adhuc conspicitur; quod si recentioribus aedium partibus maiestate longe cedit, ad occidentem vero solem solarium praebet, ex quo tam amplius variusque

Ludovici XVI regis uxore, singulari arte deinde excultum.

Quamquam, interior Versaliensium aedium centralis pars, eaque omnium maxima, quamlibet expectationem magnificentia vincit: ibi atria, exedrae, peristyla, sacrarium, theatrum, pinacotheca; quorum parietes et camarae abacis, tectoriis operibus (ipsisque plerumque deauratis) redundant; ibi pavimenta sectilia, tessellata, vermiculata, sculptura; texta et supellectilia maximi pretii; ita ut Solis-regis veram sedem iure hanc et facile dixeris.

Atqui rerum eversio quae, exeunte XVIII saeculo, contigit, huiusmodi thesauros non semel profanavit corruptaque; regiaque Gallorum familia d. VI mens. Octobris MDCCLXXXIX fere per vim erepta inde est,

deliciarum locum cum patibulo, parvo tempore post, commutatura. Illuc redit Napoleon; nemo vero post eum Versalienses aedes habitavit, quae, in museum nunc conversae, antiquum aulicum splendorem raro tantum resumere videntur; quum scilicet Gallici populi legati atque senatores eo conveniunt, ut summam reipublicae dignitatem suis suffragiis eligant; quemadmodum proximo quoque Ianuario mense factum est.

I. F.

COLLOQUIA LATINA

Chartulae Iusoriae (1).

VALERIUS. — Quid agis? Non vertis chartam indicem?

LUDOVICUS. — Volo prius meas computare, ne plures aut pauciores acceperim.

V. — Unam habes plus iusto.

L. — Deponam.

V. — Non est ea lex lusus, sed ut vicem tuam amittas distribuendi, et transeat ad sequentem: cede folia.

L. — Non faciam, quandoquidem nondum protuli indicem.

V. — Immo facias, hercle!

L. — Quid tu dicis, iudex?

MANRICUS. — Profecto ignoro, quid sit in hoc facto statuendum.

L. — Qualem iudicem nobis praefecimus sine iudicio, ducem sine oculis?

V. — Quid ergo fiet?

L. — Quid tandem? Nisi ut mittamus quemquam Romam, qui hac de re afferat nobis consultum aliquod Supremae Curiae iurium tribuendorum?

CLAUDIUS. — Misce omnia, et rursum impertire.

THEODORUS. — O qualem ludum mitto de manibus! Non obveniet mihi hodie similis.

C. — Misce probe isthaec folia, et praebeto singulis attentius.

V. — Augeo sponsonem.

T. — Num non praedixi, non habiturum me hodie in manibus ludum illi parem? Cur ego ludum vel aspicio oculis?

V. — Recipis ne auctam sponsonem, Ludovice?

L. — Recipio, et rursum augeo.

V. — Quid tu speras me ferocibus tuis verbis protelare? Non concedo.

L. — Effare tandem semel et expedite: admittis ne?

V. — Etiam, et quidem libentissime: et animus instigat me tali ludo maiore pretio certare; sed istud inter amicos sufficit.

T. — Quid vero me non computatis inter vivos? Adeo nulla est mei intentio?

M. — Quid igitur tu ad haec, homo morosus?

T. — Licet fortuna non mihi secundet, augeo tamen mea ex parte depositum.

L. — Quid tu, Claudi?

C. — Nunc me tu consulis, posteaquam tua opera depositum crevit in immensum? Ego incrementum hoc meo hoc ludo sustinere non sim ausus.

V. — Responde affirmative, soci mi.

C. — Non habeo quod sic respondeam, sed valde ambigue, et dubitanter, et cunctabunde, et timide, et diffidenter. Est ne sic satis expresse dictum?

V. — Deum immortalem, quanta copia! Non tam densa nuper cadebat grando! Sed quaeso te, periclitemur paullisper.

C. — Experiamur, quando ita tibi placet; a me vero non sperabis magnam opem.

L. — Feres tamen quas poteris suppetias.

C. — Nihil necesse id habes admonere.

T. — Atque plane; nos enim victi sumus.

V. — Vicimus denarios quatuor. Addo quinque asses. Misce.

C. — Quid ad hanc provocationem dicis, Ludovice?

L. — Quid dicam? Fugio.

C. — Tu perdidisti proximum ludum; sine nos hunc arbitratu nostro perdere. Sentio enim me esse inferiorem, sed substinendum est, quandiu aliquid video superesse virium.

V. — Quid? Recusas?

C. — Quinimo addico.

M. — Tu, Valeri, non nosti hunc Claudium? Superiorem quum habet ludum, ita solet callidos provocatores illectare in suum rete. Vide, ne quo temere progrediaris ubi tenearis irretitus.

V. — Divum fidem! Quomodo potuisti divinare solum mihi folium postremum huius familiae?

C. — Nulla equidem ei divinatio qui videat nescire te ludum ad victoriam scienter accommodare; sed folia iacere absque arte, ubi sors tulerit, ratum nihil interesse quid prius, quid posterius mittas, quid socius aut adversarii iecerint, quae retinuerint.

T. — Faciamus, quaeso, tandem ludendi finem. Omnium rerum est satietas; etiam voluptatum.

C. — Et ego defessus sum in sedendo: assurgam aliquantisper.

V. — Sit; atque Manricus capiat testudinem hanc et aliquid nobis cantillet.

M. — Quid tandem?

V. — De ludo quidpiam.

M. — Carmen Vergilii?

T. — Deus meliora! Vergilii versibus aptare modos!...

(1) Cfr. num. sup.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Concilii.

De Communione in Ecclesiis non parochialibus etiam Regularibus die Paschatis Fidelibus administranda.

Quum quaesitum a Sacra Congregatione Concilii fuisset, an, post decretum de quotidiana SSmae. Eucharistiae sumptione, eius initium: «Sacra Tridentina Synodus», servanda adhuc sit lex, qua prohibetur quominus die Paschatis in ecclesiis non parochialibus, praesertim regularibus, devotionis etiam causa, SSmae. Eucharistiae Sacramentum administretur; SSmus. Dominus noster Pius d. p. PP. X, audita relatione Emi. Cardinalis S. Congregationi Concilii Praefecti, responderi iussit: *Negative.*

(Ex deer. d. xxviii mens. Novembbris MCMXII).

Ex Congregatione Consistoriali.

Decretum circa actiones scenicas in ecclesiis.

Postremis hisce annis haud raro contigit ut per *cine-matographia et projectiones*, ut aiunt, actiones quae-dam scenicae in ecclesiis haberentur. Quod, etsi pio iuvandae religiosae fidelium institutionis desiderio peractum fuerit, visum tamen est periculis atque incommodis facile locum dare. — Quum itaque nonnulli Sa-crorum Antistites ab Apostolica Sede quaesiverint utrum eiusmodi usus tolerari posset an potius cohiberi deberet, ad Emos. S. Congregationis Consistorialis Patres delata res est. Porro hi considerantes, aedes Deo dicatas, in quibus divina celebrantur mysteria et fideles ad caele-stia et supernaturalia eriguntur, ad alias usus et praesertim ad scenicas actiones etsi honestas piusve agen-das converti non debere, quaslibet projectiones et cinema-tographicas repreäsentationes prohibendas omnino esse censuere. SSmus. autem D. N. Pius PP. X sententiam Emorum. Patrum ratam habuit confirmavitque, atque edi iussit generale decretum, quo ea agi in ecclesiis prohíberetur, die x mens. Decembr. MXXII.

Ex Congregatione de Disciplina Sacramentorum.

Iurium.

— Ordinarii permittere possunt per modum actus, ut sacrosancta missa extra locum sacrum, privatis in domibus, celebretur ex iustis et rationalibus causis, non tamen in cubiculo, sed in loco decenti, servatisque aliis de iure servandis et gratis omnino quocumque titulo.

— Ex iusta pariter et rationabili causa Ordinarii permittere possunt, ut parvulis, praeterquam quod in-stante mortis periculo vel urgenti infirmitate, domi baptismatis sacramentum administretur.

— Item ex iusta et rationabili causa Ordinarii per-mittere possunt, ut mala affectis valetudine, qui domo egredi nequeant et sacram Communionem ob devotio-nem petant, cum praesertim in aliqua paroecia plures petant, vel aliquis petat frequenter, S. Eucharistia pri-

vatum, seu non observatis Ritualis praescriptionibus, ab ecclesia domum deferatur, servato saltem ritu proposito a Benedicto XIV in Decreto *Inter omnigenas*, 2 Febr. 1744, § 23, scilicet: «Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur». (Ex deer. d. xxiii mens. Decembr. MCMXI).

Ex Congregatione Indicis.

Per deer. d. xx mens. Ianuarii MCMXIII in Indi-cem librorum prohibitorum relata sunt opera quae se-quuntur:

BEGEY e FAVERO. *S. E. Mons. Arcivescovo L. Puecher-Passavalli, Predicatore Apostolico, Vicario di S. Pietro. Ricordi e lettere (1870-1897)* - Milano, Torino, Roma, 1911.

KARL HOLZHEY. *Kurzgefasstes Lehrbuch der speziellen Einleitung in das Alte Testament*. - Paderborn, 1912.

LASPLASAS. *Mi concepto del mundo*. Libro tercero: El mundo y el yo humano. - San Salvador, 1911.

— *Discurso sobre la filosofia*. Resumen de «Mi concepto del mundo». - Barcelona, 1912.

45 Thesen zur Gewerkschafts-Enzyklika «*Singulari quadam*» von Ghibellinus und Germanicus. Seiner Eminenz, dem Herrn Kardinal Kopp, Fürstbischof von Breslau und Seiner Exzellenz, dem Herrn Kultusminister Trott zu Solz ehrerbietigst zugeeignet. - Herford in Westf., 1912.

VALERIANO FERRACCI. *Cenni biografici della Serva di Dio Paola Mandatori-Sacchetti*. Roma, 1905. (Decr. S. Off. 28 Aug. 1912).

Ex eodem decreto notum fit Aloysium Izsof, Th. De Cauzons et Valerianum Ferracci decretis, quibus quidam eorum libri prohibiti sunt, laudabiliter se subiecisse.

Ex Congregatione pro Negotiis Ecclesiasticis ex-traordinariis.

Declaratio circa Indultum de abstinentia et ieunio pro America Latina.

Proposito dubio, utrum Indultum d. i Ianuarii MCMX de abstinentia et ieunio pro America Latina vim quoque habeat in omnibus Antillis et ceteris insulis maris Caraibici, SS. D. N. Pius d. p. PP. X, respondendum decrevit: «Affirmative», ad normam Declarationis au-thenticæ d. XVI Augusti MDCCXCVIII, qua Litteras Apo-stolicas *Trans Oceanum* etiam in memoratis insulis vi-gere edicitur; quoad usum, vero, privilegiorum seu indultorum servandam esse quoque Declarationem d. XIII Decembribus MCMXI.

(Ex deer. d. x mens. Decembribus MCMXII).

Ex Congregatione de Religiosis.

Dubium quod indulta abstinentiae et ieunii relate ad Religiosos.

Utrum in indultis apostolicis, quibus mitigationes vel dispensationes conceduntur ab abstinentia et ieunio in regionibus intra et extra Europam, praeserit in

America Latina, comprehendantur familiae Religiosae ibi degentes? — *Resp.* I. Affirmative quoad abstinentiam et ieiunium a lege Ecclesiae generali praescripta, nisi ab indulto excludantur Religiosi. — II. Negative quoad abstinentiam et ieiunium a propriis Regulis et Constitutionibus statuta, nisi in indulto expresse de hac dispensatione mentio habeatur. Non servantes igitur huiusmodi abstinentiam et ieiunium, transgrediuntur quidem Regulam et Constitutionem, non autem legem Ecclesiae, ideoque culpam tantum et poenam incurront a Constitutionibus vel Regulis statutam. — III. Quoad vero Religiosos in America Latina degentes, standum novissimo Indulto per Secretariam Status concessso, die 1 mens. Ianuarii MCMX.

(Ex deer. d. 1 mens. Septembr. MCMXII).

Dubium circa Religiosos votorum solemnium degentes ad tempus extra claustra.

Utrum Religiosus, habitu regulari dimisso, extra claustra ad tempus degens indulto apostolico, cum facultate ab episcopo obtenta celebrandi Missam et alia opera sacerdotis propria peragendi, subsit eidem Ordinario, ita ut episcopus habeat in eum iurisdictionem et auctoritativam et dominativam potestatem, quamvis in Rescripto desit consueta formula: «Ordinario loci subsit in vim quoque solemnis obedientiae voti?» — *Resp.* Affirmative, facto verbo cum Sanctissimo.

(Ex deer. d. 1 mens. Septembr. MCMXII).

Ex Congregatione Rituum.

De Oratione Dominica et aliis Officio Defunctorum praemittendis.

Proposito dubio: «An ante Vespertas Defunctorum praemitti debeant Pater et Ave; et ante Matutinum Pater, Ave et Credo?» resp. «Affirmative, quoties Vesperae aut Matutinum Defunctorum separatim ab Officio divino recitentur».

De Communione infimarum in Monasteriis clausurae papalis.

In defectu Confessarii vel Capellani, tertius sacerdos, etiam regularis, licet sine socio, legitime vocatus de licentia episcopi, qui pro hac licentia nomine ipsius episcopi concedenda etiam abbatissam seu superiorissam habitualiter designare poterit, sacram Communionem infirmis valeat deferre Religiosis, quae ad ecclesiae cattles descendere nequeunt. Oportet autem ut quatuor religiosae maturae aetatis, si fieri possit, ab ingressu in clausuram usque ad egressum, sacerdotem comitentur, qui sacram pyxidem aliquas consecratas particulas continentem deferre, sacram Communionem administrare, reverti ad ecclesiam, eamdemque sacram pyxidem reponere debet, servatis rubricis a Ritu Romano pro Communione infirmorum statutis.

(Ex deer. d. 1 mens. Septembr. MCMXII).

Dubia varia.

I. - In novis rubricis, tit. x, num. 2, Missae votivae aut privatae pro defunctis prohibentur in feria in

qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicæ. Quaeritur: Quid intelligendum in verbo «reponenda»? *Resp.* Dicitur Missa reponenda, quae Dominicæ praecedenti, ob occursum nobilioris Officii, celebrata non fuit: et in casu, Missae votivae et privatae defunctorum prohibentur in illa feria in qua prima vice resumenda est Missa Dominicæ.

II. - Si prima dies libera mensis sit sabbatum, et in eo fiat de S. Maria in sabbato, Missa principalis debetne esse de S. Maria, vel pro defunctis? Quid vero si impedita fuerit Missa Dominicæ praecedentis? — *Resp.* Celebra est Missa principalis de S. Maria in sabbato, etiam in casu quo impedita fuerit Missa Dominicæ praecedentis. In ecclesiis autem cathedralibus et collegiatis, post Primam et extra chorum, celebra est sine cantu Missa pro defunctis.

III. - In ecclesiis quarum titulus est S. Ioseph, et in locis in quibus S. Ioseph usque nunc tamquam patronus principalis celebratur die 19 Martii, festum patronale aut titulare servandumne adhuc est ipsa die 19 Martii, seu potius in Dominicam III post Pascha reponendum? — *Resp.* Festum de quo in casu convenientius in Dominicam III post Pascha reponatur: nisi speciales habeantur rationes illud in sua die 19 Martii retinendi.

IV. - In kalendariis dioecesanis reformatis quaedam festa particularia et non stricte propria suppressa sunt, quorum Officium vel ex Proprio dioecesano, vel ex appendice Breviarii pro aliquibus locis desumebatur. Quaeritur: Quodnam Officium adhiberi debet in ecclesiis ubi eiusmodi festa sint stricte propria, ac retinenda vel ratione tituli, vel patronatus, vel reliquiae insignis? Recitandumne adhuc est Officium in dioecesi suppressum, vel potius ad Commune recurrentum? — *Resp.* Adhibetur Officium hucusque recitatum cum respondentie Missa.

V. - In vigiliis S. Mathiae Apostoli, S. Matthaei Apostoli et Evangelistae et S. Thomae Apostoli, prima in Quadragesima, ceteris in fériis Quatuor Temporum occurrentibus, licetne Missam privatam celebrare vel de festo occurrenti, vel de feria maiori, vel de vigilia? — *Resp.* Affirmative.

VI. - Si eadem die 27 Iunii occurrant vigiliae S. Ioannis Baptiste et SS. Apostolorum Petri et Pauli, Missae privatae poteruntne esse vel de festo occurrenti, vel de alterutra vigilia? — *Resp.* Affirmative.

VII. - Attenta praesertim rubrica tit ix, num. 4, in locis ubi habetur Patronus principalis tum oppidi seu civitatis, tum dioeceseos, tum provinciae, tum nationis, debentne singula festa sub competenti ritu Patronis proprio celebrari? — *Resp.* Affirmative; etiam quoad Patronum dioeceseos, dummodo hucusque festum eius per totam dioecesim, in locis quoque peculiarem Patronum habentibus, celebratum sit sub ritu dupli in classis cum Octava.

VIII. - Octava et nona lectio SS. Nerei et Sociorum Martyrum, S. Matthaei Apostoli et Evangelistae, ac Dedicationis S. Michaëlis Archangeli suntne uniendae quando legenda sit nona lectio feriae aut Dominicæ? — *Resp.* Affirmative quoad lectiones tantum SS. Nerei et Soc. Martyrum ac Dedicationis S. Michaëlis Archangeli.

IX. - Quo colore utendum est in festo Commemorationis Omnim Sanctorum S. R. E. summorum Pontificum? — *Resp.* Servetur antiqua praxis Patriarchalium aliarumque ecclesiarum Urbis in quibus adhibetur color rubeus.

(Ex decret. d. vi mens. Decembr. MCMXII).

Quo titulo honoris gaudeant Capitulares almae Domus Lauretanae.

Ex documentis authenticis exhibitis ac mature expensis constitutis Canonicos, Beneficiatos, Capellanos Basilicae et almae Domus Lauretanae etiam honorarios, Familiares Papae nuncupari et esse; qua tales vero non recenseri inter Praelatos neque inter Cubicularios aut Capel'anos Summi Pontificis; ideoque non gaudere horum coetuum titulis et privilegiis.

(Ex declarat. d. xi mens. Decembr. MCMXII).



DIARIUM VATICANUM

(Mense Ianuario MCMXIII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliasque viros, qui sui quisque munera gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Exterarum civitatum legati apud Apostolicam Sedem omnia in novum annum offerentes; De Leiningen, Comes; Melania Metternich de Iohannisberg, Princeps foemina; Maria Theresia Ledochowska, Comitissa; De Rignon, Comitissa; Joseph de Sanmarzano, Comes; Philippus Lancellotti, Princeps Urbanus, eiusque familia; Alexander Skzynno-Skrzynski, Comes, ex Austrorum Hungarorumque legatione apud Apostolicam Sedem; Hernestus Schönberg-Roth-Schönberg, Dynasti; Camillus Rospigliosi, Princeps Urbanus, eiusque familia; peregrinorum manus ex Opificum Germanorum Societate; Raphaël Errazuris Urmeneta, Chilensis reipublicae legatus cum uxore et liberis; Aloisia de Lardere!, Comitissa, cum Henrico filio; Collegii Germanici-Hungarici de Urbe alumni ac moderatores; Ioannes Borghese, Princeps Urbanus; D'Erp, Dynasta, legatus extraordinarius atque administer cum omni potestate civitatis Belgarum apud Apostolicam Sedem; Antici Mattei, Urbana princeps foemina; Olgierd Czartoryski, Princeps, eiusque uxor; Von Jagow doctor, rerum ad exteriores in Germania administer; Petrus Iosephus De Rada y Gumio doctor, a Secretis Peruvianae legationis apud Apostolicam Sedem; De Bomarzo, Dux, eiusque familia; Giustiniani-Bandini, Urbanus Princeps, eiusque familia; Carmelus Arango doctor, Columbianae civitatis administer apud Apostolicam Sedem; Franciscus Serlupi-Crescenzi, Marchio; De Bertier, Marchio; Turena e regali genere Comitiss.; De Sancta Severina, Neapolitanus Dux.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum. — Per decreta S. Congregationis Consistorialis SSImus. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Metropolitanae ecclesiae Strigoniensi praefecit rmum. d. Ioannem Csernsch, hactenus archiepiscopum Colocensem et Bacsensem; archiepiscopali ecclesiae Cusentinae sac. Thomam Trussoni, vicarium generalem Comensem et canonicum ecclesiae cathedralis; cathedrali ecclesiae Lugosiensi Rumenorum sac. Valerium Traianum Frentin, presbyterum eiusdem dioecesis, ibique vicarium foraneum; cathedr. eccl. Baniacensi r. p. Iosephum Garie, in saeculo Stephanum, Ordinis Fratrum Minorum Unionis Leoniana, provinciae Bosnae-Argentinae; titulari ecclesiae episcopali Amisensi rmum. d. Franciscum Di Costanzo, iam episcopum Monopolitanum; cathedrali ecclesiae Catalaunensi sac. Iosephum Mariam Tissier, vicarium generalem Carnutensem.

Brevibus autem Apostolicis nominati sunt: R. p. d. Dominicus Tappuni episcopus titularis eccl. Bathnensis et auxiliaris Patriarchae Antiocheni Syrorum; r. p. Ludovicus Martrou e Congregatione S. Spiritus, episcopus tit. eccl. Coryensis et Coadiutor cum futura successione Vicarii Apostolici Gabonensis in Africa centrali; r. d. Andreas Leonius Iosephus Eloy, alumnus Seminarii Parisiensis pro missionibus ad exteriores, episc. tit. eccl. Magydensis et Vicarius Apostolicus Tomkin meridionalis, r. d. Victor Carolus Quinton, alumnus Seminarii Parisiensis pro missionibus ad exteriores, episc. tit. Larandensis et Coadiutor cum futura successione Vicarii Apostolici Cocincinae Occidentalis; r. p. d. Iosephus Hirt, nunc episcopus tit. Thevestinus et Vicarius Apostolicus de Victoria Nyanza meridionali, Vicarius Apostolicus novi Vicariatus de Kivu in Africa; r. p. Cletus a Baltaggia, in saeculo Vincentius Peiov, Ordinis Fratrum Minorum Capulariorum, episcopus tit. eccl. Lyrbensis et Coadiutor cum futura successione Vicarii Apostolici Sophiae et Philippopolis.

Nominatio Praefecti Apostolici. — R. p. Iosephus Reiners, e Societate Verbi Divini de Steyl, Praefectus Apostolicus novae Praefecture Apostolicae de Nygata in Iaponia nominatus est.

Varia.

Die xiv mens. Ianuarii MCMXIII in Xystino Sacello Pontificia Cappella habetur ad exsequis funus celebrandum Luitoldi Principis Bavariae regnum regentis, recens vita functi.

ANNALES

Balkanicae res.

Quae in Turcarum imperio fiunt ea sunt, ut omnium Europearum nationum mentem atque consilia occupent. De Balkanica enim quaestione ciuitas solvenda, ne reliquae Europae pax turbetur, solliciti sunt omnes: hinc legati, Londini, uti alias diximus, congregati; inde gubernia, quibus stetit tandem una sententia, apud Turcarum administratos simul urgendi, circa propositos a victoribus pacis terminos, ad remissionem. Re quidem vera huiuscmodi libellus exhibitus est, expostulans Adriano-polis urbis Balkanicis foederatis populis ditionem, utque ipsis exterarum Europeanum gentium gubern-

niis Aegearum insularum additio deferretur. Kiamil, Turcarum administratorum praeses, eiusque collegae, post vanas nonnullas moras, quum sibi tandem persuasum haberent finem bello tam infausto imponendum esse, neque id melius fieri posse quam Europearum nationum officiis assentiendo, contionem quae vulgo dicitur, nationalem, congregarunt secundamque eius voluntatem obtinuere; iamque ad redigendam hanc responsonem erant intenti, quum necopinato factiosorum Iuvenum Turcarum illorum globus, quibus profecto Turcae hodiernum statum suum miserrimum maxime debent, in administratorum aedes armata manu impetum facit; eos, qui obsistere conantur, et ipsum bellicorum negotiorum administrum Nazim, trucidant, Kiamilius eiusque collegas summa imperii abdicare vi iubent; abdicationem obtentam ac subscriptam ad Sultum deferunt, qui facile alteri eorum, Mahmud Chefket, supremam a sene illo ac prudenti Kiamilio — quem illius momenti terrore apoplexi arreptum dictitant — tum habitam potestatem commisit. Brevi tamen innotuit facinoris huius — Enver illi praecipue tribuendi, cuius bellicam civilemque virtutem Itali nos hercle! in Libya cognovimus — utilitas, immo opportunitas. Tantae ne enim molis erat sanguinem effundere, ut inde tantum proponeretur Adrianopolis urbis in duas partes divisio, quarum altera ad Maritza fluminis dexteram Bulgaris tribuatur; altera, ad laevam, servetur Turcis? Haec enim restitutorum patriae acute cogitata solutio!

Interea Balkanici legati, non absurde fortasse putantes de certa pace, nunc saltem, agi ulterius non posse, industias sustulerunt. Tertia igitur huius Februarii mensis die bellicorum tormentorum frager, nisi improvisus quidam prosper eventus intercesserit, late rursus circumsonabit!

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Anglia** rogatio legis de iure suffragii immutando populi legatis oblata, qui legem de certis quibusdam suis iuribus Ibernis tribuendis tandem recognovit. Quum vero huiusmodi lex ad Senatum venisset, patres ratam eam minime habuere.

In **Borussia** rationes acceptorum et expensarum in disceptationem vocatae, reiectaque rogatio, ut legatio apud Apostolicam Sedem supprimetur.

In **Gallia** post Raymundum Poincaré, qui administratorum consilio praeverat, civitatis praesidem electum, administratorum collegium magna ex parte renovatum, eique Briand praepositus.

In **Germania** nonnullis legibus, ex iis quae *sociales* vulgo nuncupantur, plena suffragia attributa. In locum Kiderlen-Waechterii vita functi, Von Jagow, Romae legatus, ad extera negotia moderanda vocatus.

In **Hungaria** Szekely, iustitiae administro a munere se abdicanti, Balogh suffectus.

In **Lusitania** novum integrum administratorum consilium creatum, praeside Alfonso Costa.

In **Norvegiorum** pariter **regno** de integro instauratum gubernantium consilium sub Kmadsen, «radicalium» factionis principe.

In **Suecia** publici coetus sessiones resumptae regali oratione, secundas regni res et amicitiam inter Scandinavos confirmatam commemorante.



PER ORBEM

Die IIII mens. Ianuarii MCMXIII Bonearensi in urbe civilia receptacula rerum quibus ignis excitari potest, magno cum damno, flammis destruuntur.

— d. IV ad Somerset West, australis Africæ urbem, dynamitis pulveris officina pariter incenditur, indeque opifices plures mortem aut atrocias vulnera reportant.

— d. VI Lutetiae Parisiorum obit Aloisius Cailletet, qui ob inventam rationem gasia, vel maxime resistantia, liquefaciendi, immortale nomen sibi comparavit. In Burgundia natus erat an. MDCCXXXII.

— d. VIII loricata Gallorum navis *Massena*, vaporis machina vitiata, disrupta; classiariorum octo exustione pereunt.

— d. IX Bonearensis portum appellat Germanica navis *Deutschland* ab australibus regionibus redux, ubi novam terram reperit, cui Fitchner, expeditionis dux, nomen a Luitpoldo, Bavarii regni Principe Regente, imposuit.

— d. XVIII, Versaliis, Raymundus Poincaré Gallicae rei publicae praeses ad septennium renunciatur.

— d. XIX Romae vexilla legionum, quae Libyci belli participes fuere, sollemni ritu in Capitolio aureo numismate ab Italico rege decorantur.

— d. XXI Guadalajara, Mexicana ex urbe, nunciatur Kolima vulcanus violentos ignes evomere magna cum propinquarum regionum ruina.

— d. XXII ad Elhambra improvisus torrens e montibus noctu precipitans, Indorum peregrinorum comeatum occupat, quorum trecenti et quinquaginta circiter gurgite submerguntur.

— d. XXIII Berolini septuaginta annos natus vita fungitur Von Hollmann, classis praefectus, navalis Germanorum rei quondam administer.

— d. XXV Bielovucic, Peruvianus aviator, Italicas Alpes in aeronavi feliciter transgreditur.

— d. XXVI Neo-Eboraci in aërea ferrivia curruum occursus fit. Ex viatoribus unus necatur, plures sauciantur.

— d. XXVIII annorum gravis, post diuturnum morbum, Vindobonae unanimi cum Austrorum luctu supremum obit diem Ran'erus, Magnus Dux, regiae domus Nestor. Mediolani ortus erat d. XI mens. Ianuarii MDCCCXXVII; fuitque vir multae doctrinae atque etiam bellica virtute praeclarus.

— Madriti eadem die moritur Sigismundus Moret, publici coetus legibus in Hispania ferendis praeses, ac liberalis quae dicitur factionis princeps, iamque pluries gubernio praefectus. Gadibus natus erat an. MDCCCXXXVIII; iurisprudentiae doctor, multa opera historica atque civilis disciplinae reliquit.

— d. XXXI Neo-Eboraco nunciatur Steiner, Agyptiorum antiquitatis doctor, magnam illam moream sphingem explorans, vacuam invenisse magnumque templum in ea Soli dicatum.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Sociorum et lectorum in mentem revocamus, libros recens editos atque ad nos missos, ut in Voce Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, veniamdari. Si quis alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

P. GAUTHIEZ. *Promenades parisiennes. Croquis et Fantaisies.* — Lutetiae Parisiorum edid. Bloud et Soc., ad forum Sancti Sulpitii, 7. (Ven. lib. 3,50).

P. GILLET. *L'educazione della virilità cristiana.* Traduzione dalla terza edizione francese. — Romae edid. Desclée et Soc. (Ven. lib. 2,75).

L. CELIER. *S. Carlo Borromeo (1538-1584).* — Indidem. Ven. lib. 2.

AENIGMATA

I.

Ornatos axes Hyperion mergit in undas:
Veste sub obscura splendida calcio vias.
Sidera quando nitent, tenebrosos protero calles,
Quos iterum rutila cernet Apollo face.
Hinc mea splendorem circum nigra sphaera recludit;
Lux radios vibrat, quae micat alma sinu.
Candores nitidos calidas dum mutat in undas,
Tunc ego recluso pectore gigno diem.
Gigno diem gremio, vicibus quae subdita miris
Luce peregrina compita plura lavat
Dum vestit splendore vias, secedit ab illis,
Queis abiens profugo lumine saxa tegit.
Hoc autem (heu miserum!) caecis aenigma patebit:
Non opus est illi mente studere nova.
Decipitur tamen is noctem qui aenigma fatetur;
Nox etenim nescit pectore ferre diem.

A. EPIRO.

II.

Masculus immineo pelago; si foemina campis;
Neutrum sum fructus. Vox inimica Deo est.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

BIBLIA SACRA VULGATAE EDITIONIS

Xysti V. P. M. iussu recognita et Clementis VIII auctoritate edita: (Editionem renovarunt Desclée et Soc.).

Aenigmata an. XV, n. XI proposita his respondent:

(1) Clavis; (2) Arar.

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — Iac. Costa, *Dumio.* — Rich. Brondel, *Brugis.* — Lud. Dubois, *Massilia.* — Alx. Martinez, *Badaicio.* — Rich. Muller, *Berolino.* — Lud. Goux, *Bituricis.* — Vine. Starace; Alex. Pintauro, *Neapolis.* — F. Arnori, *Mediolano.* — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum.* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum.* — Iac. Fernandex, *Mexico.* — F. Correa, *Emerito.* — Mart. Dunne; Eug. Dolmar, *Neo Eboraco.* — Fr. Guerra, *Aetio.* — A. Tonelli; Arch. Magliano, *Genua.* — I. Ciolfi, *Papia.* — Eug. Dolmar; Leon. Feher, *Chicagine.* — Ant. Masia, *Tarragona.* — Alb. Cattaneo, *Lugduno.* — Iac. Menendez, *Madrito.* — Ant. Whiteside; Alb. Kain, *Dublino.* — Raim. Silvan, *Londono.* — I. Ortiz, *Morelia.* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio.* — Io. Martins, *Philadelphia.* — Iac. Cordara, *Parenio.* — F. X. M. Drepiano. — Nic. Lagunia, *Panormo.* — R. Richi, *Traianopolis.* — Hern. Forgeot, *Nicaza ad Varum.* — P. Prado, *Venetii.* — Aug. Bounin, *Aureliano.* — B. Ferraris; N. Bianchi, *Augusta Taurin.* — R. Ricci, *Florentia.* — Carm. Zlinezky, *Cracovia.* — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone.* — Frid. Horwath, *Vindobona.* — F. Wawer, *Marianopoli.* — Georg. Archambeault, *Quebeco.* — St. Lowinski, *Zerkow.* — Nic. Endrigi, *Salisbury.* — Iac. Gomez, *Casaraugesta.* — E. Burg, *Monach'o.* — Fr. Salvatore, *Syracusis.* — Alois. Geyer, *Ratisbona.* — Claudius Lucensis. — Alois. Venti, *Bononia.* — Diomedes Falva, *Constantia.* — Ladisl. Thyssen, *Dresda.*

Sortitus est praemium:

ALFONSUS MARTINEZ

ad quem missum est opus, cuius titulus:

FABULAE SELECTAE IOANNIS LA FONTAINE
LATINE CONVERSÆ
A FRANCISCO XAVERIO REUSS.

NUMISMATUM COLLECTORIBUS MONITUM

Apud *Vocem Urbis* numismata plura ex iis, quae gesta Romanorum Pontificum referunt et quotannis in festo Apostolorum Petri et Pauli cudi solent, venalia prostant. Sunt inter haec numismatum aeneorum Leonis XIII et Pii X integra collectio; collectio pariter integra argenteorum numismatum Pii X; et Leonis XIII ab anno XIII ad XXVI Pontificatus eius inclusive.

Si quis aliquod vel omnia habere cupiat, rogationem simul et oblationem suam scriptis mittat ad Doctorem Josephum Fornari, Commentarii Vox Urbis Moderatorem, Romam, (Via del Governo Vecchio, 96).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE. — Officinæ Societatis Editricis Romanae.

AD ROMAM

ACTIO DRAMATICA

versibus plautinis composita et in tres actus distributa.

PUBLIUS.

Dies felicior tibi sit prae caeteris
 Haec qua contendis divum sub auxilio
 Ad hostem perfidum debellandum fortiter.
 Tuae nam copiae Romae fidissimae
 Exoptant bellum, dabunt quae victoram.
 At, imperator, ore libero loquor,
 Decet quod mihi senatori maxime.

IMPERATOR.

Libenter audiam, quid, Publi, dixeris.
 Soles nam semper me consilio regere;
 Et in Senatu, prudentiae meritis
 Tuae loquentem saepe Patres audiunt.

PUBLIUS.

Novum tu, fortis imperator, praelium
 Es adgressurus, dabunt quod dii prosperum,
 Tuis nam signis militat Victoria.
 Iuvat sed externos quid hostes pellere,
 Manent si multi civitatis viscera
 Qui rodunt, tundunt, lancingant perfidi?

IMPERATOR.

Tuus quo tandem sermo tendit abditus?
 Qui sunt, timescis tradidores dicere?
 Palam dic, iubeo, remotis nubibus!

PUBLIUS.

Heic Roma vivit, imperator strenue,
 Tuis quam multis cumulas muneribus,
 Diis invisa, quos contemnunt perfidi.
 Est, inquam, secta turpis et vaferima,
 Tuam pernicem quae inquiret unice.
 Eam debes prius gladio perdere,
 Velis Deorum ne priveris numine.
 Deos enim sanctos superba polluit,
 Deos, qui Romam rettulere gentium
 Dominam rerumque, affluentem divitiis,
 Meamque gentem reddidere celebrem.
 Quis est nam gravior gente Cornelia?
 Viris est clara, celebris victoriis.
 At, at, cum primum venit supersticio,
 Cuius caput, Christus, damnatur Solymis,
 En omnis orbis funditus dissolvitur.
 Hoc est plectendum monstrum hominum! Cuspide
 Suo qui venenum transmittit celere.
 Vir esto fortis, audax, sume consilium
 Dioctetiani, hydram qui percussit acriter.

Tibi debemus dedicare statuam

Inscriptam: quidam maculabant foetidi
 Terram, sed adfuit fortis Maxentius,
 Eos qui gladio percussit strenue,
 Et omnes gentes liberavit gemitu.

IMPERATOR.

Adest sed inclitus senator Scipio,
 Cuius gens protulit Romae salutem.
 Tuam placet nunc audire sententiam.
 Quid in praesenti faciendum dixeris?

SCIPIO.

Solent Quirites grandibus temporibus
 Manu, consilio tentare grandia.
 Audivi nuper senatores inclytos
 Urgere exemplis Te verbis et plurimis,
 Ut cives plectas quosdam, qui consilium
 Sequuntur improbum, bonum quod iudicant.
 Tuus nam praecessor, dii quem sospitent,
 Vexavit istos, persecutus acriter...
 Ei quid ista profuit vexatio?
 Ut ipsum crudum tyrannum crederent,
 Ut illi nisu fortiori sisterent,
 Et coram gentibus dicerentur martyres.
 Hoc idem venerit, Maxenti, in posterum.
 Prudenter esset iter adgredi novum.
 Omnes et isti cives sunt, qui patriam
 Colunt, feruntque semper usque ad sidera;
 Imperium nunquam sunt adgressi hostiliter;
 Quin suos cives ut fratres diligunt,
 Amant Te, fortis imperator, insuper
 Eos qui vexas saepiusque percutis...
 Solvunt tributa citra querimoniam,
 Quin imo multi qui magistrum colunt,
 Merent in tuis copiis stipendia;
 Et omnes strenui praestant obsequium.
 Quid dicam? Lambil illam laeti manum
 Eos quae percutit; pugnant pro imperio
 Etiam sciunt morituros gladio.
 Erunt qui tutius Maxentio subditi?
 Eis da veniam, merebunt utique!
 Eos, pol, libera a tuis custodis!
 Hoe idem nuper Constantinus aemulus.
 Ei quot urbes se dederunt alacres,
 Et adsunt, fortiter currunt quot milites!

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.